

magnitudinis, ut quingentas libras pondere elevet. Capitur a piscatoribus non ut pisces, sed fere ut bos. Observato enim loco diligenter, ubi pasci solet, scaphis suis expectant, et advenientem contis aut remis occidunt: occisum ad aulam regiam deferunt; aliter enim capitali proposita poena (ut et alios pisces, qui hinc Regii dicuntur, nempe trutas, et cacongo piscem singularem, salmonem figura referentem, sed colore diversum, caro enim ea est alba; et tam pinguem, ut prunis superimpositus eas extinguat) vendi non potest. Unde diligenter ne impunitas audaciores reddat, observantur piscatores ab Aulicis, et deprehenso absque ulla remissione plectuntur. De *pisce mulari* sic scribit Nieremburgius.

Nieremb.
H. N. l. II.
c. 62.

Sub Philippo II. visa in Oceano bellua duabus velificans alis, navis

specie. Fregit unam bombardae ictus. Irrupit per fretum Hercules bellua furens, et horribilibus frendens mugitibus atque illapsa per mediterraneas Hispaniae oras, Valentiam appulit, ubi demum exanimata, centum et quinquaginta doctores prolixa, molis circuitus centum, vacuitas cerebri septem homines capiebat.

Eques in os consistere posset. Maxillae servantur in Escuriali usque ad decem et septem pedes porrectae, viginti armatae dentibus duorum doctantum, minimi unius. Genitalia immodica. Appellatum idcirco monstrum piscis mularis. Aliqui eruditi lamiam fuisse putarunt ob fauces et ingluviem. Duo cadavera in stomacho reperta. Creditum quoque aliquibus hujus generis belluam devorasse Jonam Prophetam. Quis certo sciet?

CAPVT V.

De Pisce tauriformi et Amilotl.

Piscis tauriformis est Francisco Hermando pisciculus vix duos palmos longus, sed pinna munitus caudae instar, sex paene prolixa digitos: corio intectus duro, fusco, sed circa ventrem candenti, et ubique pentagonis sex angulisve distinctos figuris. Os est minimum, sed longiulculis munitum dentibus: Oculi magni, pinnae circa aures binae satis parvae, quemadmodum et aliae duae, quarum altera circa extrema ventris est, altera vero juxta postremum dorsum; mirum est, in hoc pisciculo duas prominere juxta frontem spinas acuminatas, infraetae duritiei, instar corniculorum, ac totidem alias eadem magnitudine et forma circa ventris postrema. Vide an ad Boopa vel Acanthiam referri possit. *Amilotl* vero est piscis teres, lacustris, squamosus, candescens, maculis aspersus pullis, sesquidodrantem longitudine, et pollicem crassitudine excedit. Binas pinnas habet in dorso, to-

Nieremb.
H. N. l. II.
c. 24.

tidem in ventre, utrimque unam, ac infra ventrem alteram. Caput est oblongum, rostrum acuminatum: sed inferna maxilla prominentior. Oculi sunt nigri, iris aurea. Aureum caput, venter luteus, adeoque reliquum paene corpus, Victum ejus sic commendat Franciscus Hermendus. Optimum et concoctu facile praebeat alimentum; nam et ovis capitur magna ex parte onustus, adeoque gratum, ut cum gravem quamdam evasissem aegritudinem, mihiq; nutrimenta omnia, a sanis hominibus et sagacioris palati vehementer expetita, forderent displicerentque vehementius, hoc uno cibi genere suavissime usus sim, et ad vires instaurandas non mediocriter adjutus. Sed magnitudo ipsa adeo gratiam commendat, ut quo in majorem amplitudinem adoleverit, eo majori habeatur in pretio, expetatur avidius, rarius inveniat venalis, inventusque ematur carius.

Nieremb.
H. N. l. II.
c. 26.